



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 1. Quis Ordo Cælestinarum Annuntiatorum, & quæ illius Fundatrix?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

tauit. Quin & hodie per hoc exemplum clamat: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum uestrarum, &c.* Pessimum autem malum cogitationum est, iudicium temerarium, de quo alterum exemplum accipitote.

## CAPVT XVI.

*Quantopere iudicia hominum, in aliorum factis censendis, errare possint?*

§. I.

*Quis ordo Celestinarum Annunciarum? & qua illius Fundatrix?*

**A**D pietatem, in Ecclesia, excitandam, excitauit benignus Dominus nouam quamdam feminarum religionem. Nomen est feminarum Deo dicatarum, *Celestina Annuntiata*; illud ab habitu, incedunt enim togâ candidâ & pallio cæruleo, seu cælestis coloris, tectæ: istud habent à sine Fundatricis, cuius mens fuit, honorem Matris Dei, ab Angelo annuntiatæ propagare. Ordinis huius Fundatrix fuit, *Genuensis illa matrona Maria Victoria*, quæ primùm An. Christi 1617. die 15. Decembris viuere desijt. Vitam eius, Italico idiomate, copiosè descripsit quidam Pater Societatis

cietatis nostræ, qui & confessarius illius fuit, *Ferdinandus Meltio* dictus, cuius librum Archiepiscopus Genuensis, mirabilium Sanctæ illius feminae gestorum conscius approbavit: placuitque is ita, & tantos passim fructus tulit, ut non ita pridem in linguam Germanicam fuerit translatus, Colonia impressus, & Serenissimæ Annæ Catharinæ Constantiæ Neoburgicæ Ducissæ dedicatus. Fuit illa Maria Victoria non tantum novæ Religionis institutrix, sed etiam eum Ordinem condidit, in quo absolutissima humanæ perfectionis imago reluceret. Sanctitatem huius feminae Deus grandibus miraculis claram fecit; sed ad sanctitatem, illam, per vias varias, rectas tamen duxit.

§. II.

*Qua Mariam Victoriam, ad opera misericordie exercenda, meditatio incitavit? Et qua opera agrotis prestiterit?*

Primum cum esset ab ineunte ætate incitata, ad Deo, in religioso Ordine, serviendum, inscia Angelo Stratæ nobili iuveni est à parentibus desponsa, cum adhuc 17. annorum puella esset; cui proinde magis parentum, quam sua voluntate, nupsit. Quid ibi sanctè egerit, aut aduersi sit passa, longum

gum